

nus hostium, in suum ipsius gladium irruentem I. Reg. XXXI. 4. cum honore sepelierant, rectè facti testimonium à Davide retulerunt. II. Reg. c. II. 5. Absalomus optimi parentis pessima progenies, qui ex seipso præter mentem quidem, justo tamen Dei iudicio, longam literam, ut Plautus ait, fecerat, dum mortem ei machinabatur, cuius beneficio vitam erat adeptus, non dignabatur consuetâ sepulturâ, sed in vastam voraginem detrudebatur, lapidibus insuper cumulatè exaggeratis, ut tam nefarium parricidij facinus memoriâ ac nomine loci notaretur. II. Reg. XVIII. Cæterum apud Judæos ab antiquo quatuor fuerunt suppliciorum genera; (ipsi vocant מיתות *mortes*) *Lapidatio, Combustio, sive vivicomburium, ut appellat Tertullianus, Decollatio, & strangulatio, ut recensentur à Talmud & alijs Rabbinis. Crucifixionem fortè inquis, me omittere, sed habeto, Crucem non fuisse Judæorum supplicium ordinarium. Ita enim illorum Magistri apud Paulum Fagium ad Deuter. XXI. 22. (ex ejus interpretatione.) Non fuit mos in Israel, ut clavi figerentur in pedibus & manibus hominum lapidatorum ac suspensorum. Nam tradita sunt quatuor genera mortis iudicibus, Lapidatio, Combustio, Occisio, strangulatio. Occisio fit gladio, & est Lapidatio durior Combustione & Combustio gravior gladio, & gladius durior strangulatione. Non autem invenitur, quòd homo clavis figi debeat ad crucem, sed suspendendus est blasphemus & idololatra, juxta id, quod dicitur, quia maledictus DEI est suspensus. Hæc illi. Idem contra conditorem Annalium Baronium & Justum Lipsium latè probat Casaubonus Gallix lumen & columnen Antiquitatis, Exercit. XVI. num. LXXVII. Suspensionem, quam Carolus Sigonius eodem errore cum crucifixione confundit, de Republ. Hebræor. lib. VI. cap. 8. ad lapidationem reducunt Talmudici. Suspensos verò infelici arbori, Lex divina Hebræis lata, ut omnis virtutis, ita & humanitatis ma-*

D 2

gistra,